



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Martinianvs C. 13. Februarij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

hospitibus nobilioribus jam fræquentari ædes videbat. *Ex Petr. de Natal.*

*Ille viam Domino suo parat, qui luxuriantis carnis respuens voluptates, toto mentis sue spiritu suspensus ad Deum vigore se castitatis accingi: optimam parat Domino viam qui cogitationes suas, avaritia fluctibus astuantes serena conscientia tranquillitate compefcit. S. Max. hom. de S. Ioan.*

S. MARTINIANVS C. 13. Februarij.

Vitam solam MARTINIANVS agere cœpit octo & decem. annorum adolescens. Dæmon malus eiecturus statione suâ militem, veteris serpentis exuvias induit. Sed nihil nisi risum retulit, quo merito humi eum repere post casum tam altum dixit. Quid ageret victus serpens? ut virum decipiat, iterum mulierem subornat. Adest hæc panniculis involuta, & velut à viâ exerrasset, magnis ejulatus, ne in pabulum feris cedat, id noctis hospitium orat, aperit MARTINIANVS à feris feminam defensurus, se lupæ objecturus; penitioribus tamen adytis clausus pernoctat. Sed manè mulierem ecce tibi mundo omni ad miraculum superbam! Videt hanc, & basiliscum videt. Audit, & Sirenem audit, & dæmonis victorem pænè mulier vincit. Experrectus tamen veluti à somno ignes fecit ingentes, pedibusque insultans. age dixit, lubeat peccare, si vel has flammæ lubet ferre. Extinxit hic rogi Veneris ardorem, tuum præcipuè cum lacrimas meretricula etiam, damnatâ jam Venere, affudit. Cæterùm MARTINIANVS in ripem è medio mari eminentem secessit. Hic quoque dum Charybdim fugit, in Scyllam minimo minus incidit, & Venerem planè regnare in  
mari

mari discit. Ecce enim naufraga puella, & ad perniciem oculorum pulchra in rupem enatat. Hic Verò MARTINIANVS ignes præventurus in mare se abjicit. Quid expectas, lector? Delphines tergo excipiunt, & littori saluum reddunt. Vides, puto, nunc, quid in homine hi ament. *Ex Metaphr.*

*Multi Diaboli fluctus sunt in hoc mundo, temptationum multa naufragia; à quibus ita liberari possumus, si clamantibus manum suam Saluator extendit: Nos ergo clamare ad Dominum non cessemus, ille auxilium solitum non negabit. S. Maxim. hom. Hyem. ult.*

## S. IORDANVS CONF. 13. Februarij.

**Q**uem nudus in cruce Christus movet, ille tegere hunc à IORDANE discat, qui cum pauperi, quando ad manum nummi non erant, baltheam argenteam dedisset, templum mox ingressus exornatum eo Christum crucifixum advertit. Pulchrè locatum credidit: quin ut totum jam Christum tegeret, omnibus se nudavit, & ad D. Dominici paupertatem nudus confugit. Subinde toti familiæ illi præfuit. Mira in eo adolescentum animos ab humanis avellendi, & trahendi ad æterna ars & dexteritas. Eloquentiâ sua quocumque voluit totam concionem impellere novit, multum eam ob rem ab orco infestatus. Interea tamen Cælitè, & ex his præcipuè Cælitum REGINA favebant IORDANI. Quare ad hunc sceleribus oppressos velut ad doctissimum medicum non semel ipsa misit. Visa est deinde inter maximum Divorum comitatum, sub preces divinas, è manu IORDANIS librum accipere: aliàs cubicula dormientium alumnorum lustrare, quin ipse Divus, festo,

quo